DE SERMONE CATONIANO

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE LIPSIENSI

RITE OBTINENDORVM CAVSA

SCRIPSIT

LVDOVICVS DIETZE

DESSAVIENSIS

TANGLIMI

PROSTAT IN LIBRARIA DIETZIANA

MDCCCLXX

DE SERMONE CATONIANO

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE LIPSIENSI

RITE OBTINENDORVM CAVSA

SCRIPSIT

LVDOVICVS DIETZE

DESSAVIENSIS

TANGLIMI

PROSTAT IN LIBRARIA DIETZIANA

MDCCCLXX

Catonianum sermonem cum conspicuum sit non solum in sententiarum structura verum etiam in pronuntiatione, flexione, singulari usu vocum discedere ab usitato, omnia haec illustrare meum esse putavi. Atque ut rem penitus absolverem, ea quoque mihi erant exquirenda et tractanda quibus liber de re rustica discrepat ab reliquorum librorum fragmentis, editis post alios ab H. Jordano Lipsiae a. 1860. Tam manifesta enim est inter haec scripta sermonis differentia, ut gravissimae extiterint dubitationes de integra illius libri condicione, motae a Pontedera, Harlesio, Gesnero, revocatae inter recentiores potissimum ab H. Keilio*) qui observ. critic. in Cat. et Varr. de re rustica libros Halis a. 1849 p. 67 haec monet:

De dicendi autem genere ut hoc quidem vix quemquam repetiturum esse credo, tenuem hanc et ieiunam orationem talis scriptoris ingenio indignam esse, ita de antiqua Catonis elocutione multum periisse persuasum habeo. Quanquam enim complura in hoc genere rectius e codicibus constitui possunt, id quod vereor ne incommode accidat ei qui nihil omnino quod dici a Catone non potuerit, hunc librum qualis nunc est, habere asseveravit, tamen multum abest, ut in eam formam oratio restituatur quae aut universae aetatis indoli aut Catonis rationi quam Originum fragmenta grammaticorum commentariis servata nobis praebent, aliquo modo conveniat. Quo de loco si uberius exponere mihi propositum esset, fieri potuisse confido ut aliquantum ab hac parte hunc librum a reliquis Catonis libris discre-

*) Keilium secuti sunt Bernhardy (Litg. ed. 4. 1865 p. 842—46) et Teuffel (Gesch. d. röm. Lit. p. 153).

pare demonstrarem. Nunc hoc unum quod omnium maxime apertum est moneo, prisca verba et priscas verborum formas in iis quae a grammaticis servata sunt, etiamsi ab iis quae hoc ipso consilio ut antiquioris aevi consuetudo notaretur ascripserunt, discedimus, multo frequentius deprehendi quam in hoc libro. Quae res nescio quomodo acciderit nisi magnam mutationem qua priscae linguae color detraheretur, liber expertus esset.

At quamquam vir doctus vix quemquam esse repetiturum existimat, tenuem hanc et ieiunam orationem talis scriptoris ingenio haud indignam esse, tamen nihil ego offensionis inde conflari iudico quod huius libri et ceterorum fragmentorum dicendi genus sit plane diversum. nam maxime inter se diversa sunt argumenta. Quod iam intellexit Bolhuis (diatr. lit. in Catonis scripta et fragmenta p. 182) qui dicit nequaquam eundem scopum in hoc et in aliis libris Catoni fuisse propositum qui non scripserit hunc librum ut Romanam exquireret antiquitatem, non id egerit ut semet ipse ab acerrimis adversariis publice vindicaret aut amicis et clientibus in foro prospiceret, sed simpliciter id voluerit ut praecepta quae in agro colendo maxime essent servanda in suum ipsius usum conderet vel vilicis suis inculcaret et familiae.

Si vero hoc spectas prisca verba et priscas verborum formas in libro de re rustica minus deprehendi quam in reliquorum librorum fragmentis, contrarium efficitur ex collatione omnium scriptorum Catonis, ut taceam illud grammaticos latinos ea quae hanc in partem potissimum erant memorabilia contulisse ex scriptis Catonis permultis cum nobis ex uno hoc libello eoque minime emendato sit hauriendum*). Quae autem recentioris aetatis esse videntur, ea

*) Textum quem vocant Catonis de re rustica libri ea nunc forma esse constat, ut nisi vetusti illi qui ex Marciano manaverunt codices manuscripti, diligenter et accurate fuerint explorati, nullo modo certum de singulorum locorum scriptura ac fide fieri possit iudicium. Ut veram igitur ac genuinam Catonis manum referrem quantum fieri

non rarius haberi in fragmentis, tot exemplis comprobari potest, ut iudicari necesse sit aut omnia Catonis scripta in recentioris linguae formam mutata esse aut huius quoque libri sermonem talem extare qualis ex ore scriptoris prodiit.

Quare alia quae huius libri a reliquis discrepantiam in verborum formis explicent argumenta, nobis investiganda sunt neque sunt remota si memoria tenes librum de re rustica ad usum agricolarum potius quam hominum politorum eruditorumque conscriptum esse. Tria enim Catonis in scriptis sermonis genera discernenda censeo: unum quod vocari potest priscum, alterum quod vulgare, tertium quod urbanum.

Ad primum genus quod priscum vocamus singularia illa et praeclara exempla quae antiquissimarum inscriptionum in dicendo maiestatem olent, referenda sunt sive quod tota oratio hoc modo est composita sive quod singulae vocum formae petitae ex carminibus solemnibus prisci aevi colorem tuentur. Talia reperiuntur R. R. cap. 139 et 141 ubi de rebus divinis agitur diique precibus orantur. Huc nescio an spectet frequens in Orationibus particulae *atque* usus quae rarius usurpatur in Originibus, quinquies tantum in toto libro de re rustica.

Secundum ac tertium genus quod statuimus linguae indicare videtur Cicero qui tradit de orat. III, 11, 42—46 oratores antiquos aliter esse locutos atque messores, alio loco (Brut. 74, 258) Caecilium et Pacuvium male loqui narrat cum eorum aequales C. Laelius et P. Scipio optime loquerentur. Quos ego locos sic interpretor ut illos nimis remotos a negotiis publicis durum quendam ac rudem ser-

poterat in tanta scripturae corruptela tantaque praesidiorum inopia, vulgatam scripturam una cum apparatu critico in Gesneri editione altera quae prodiit Lipsiae a. 1773 expressam omnino retinendam quidem censui, sed relinquendam ubi H. Keil in Observationibus suis criticis meliorem docuerat aut ea quam Politianus et Victorius de Marciano codice optimo nunc deperdito excerpserant, praestare videbatur vel propter sententiam vel propter usum vel aliam idoneam ob rationem.

monem quo Romae vulgo utebantur, hos exercitatos usu forensi illud iam protulisse dicam linguae genus, quod postea pure et emendate loqui vocabant. Atque sermonem qualis habetur in libro de re rustica si comparabis cum eo qui est in Orationum particulis et Originum amplioribus, facile illud animadvertes, plenum eum esse omnibus istis rebus quae cuique sermoni vulgari propria esse solent. Quae cum abundant in hoc libro, in reliquorum librorum fragmentis reiecta sunt tanquam in certos fines vel artiora vincula, unde illa sermonis differentia effecta est quam aliter explicare nescimus nisi ita ut in his sermonem agnoscamus urbanum, in illo vulgarem. Verumenimvero ille tamdiu princeps civitatis qui praeter ceteros floruit usque ad summam senectutem eloquentia neque ulla re nisi politissima doctrina transmarina atque adventicia caruit, ut ait Cicero, nonne eo sermone usus esse putabitur in Orationibus suis et Originibus scribendis quo illi quibuscum decertabat de laude forensi? A diverso autem consilio quo conscriptum iam diximus illum libellum, mirum esse non potest, diversum sermonem quoque manavisse. Sed cum lectores delectentur libro quod linguae quotidianae ut fuit Catonis aetate specimen exhibet praeclarissimum, tum grammatici quod luculentissima praebet indicia et documenta mutationis et transformationis quam tum lingua Romana passa est. Nam ut praetermittam praefationem emendatiore scriptam esse sermone quam librum ipsum, singula libri capita in dicendi genere paululum inter se discrepant, alia accuratius, alia negligentius sunt composita, alia paulo antiquiore, alia paulo recentiore. Mihi quidem prima libri capita conferenti cum extremis, ut exempli causa ponam cap. 5 et 144, differentia quaedam sermonis qualis ex perfectiore componendi arte tantummodo oriri potuit et linguae progressu sane conspicua videtur: multo evidentior est praefationis discrepantia. Quae cum omnia considero, facere non possum quin librum de re rustica non uno tanquam tenore scriptum esse sumam, sed illud suspicer quae maxime essent servanda in rebus rusticis

praecepta, quum paulatim vel iuvenis vel vir sibi annotasset, ea postea senem multarum rerum peritum in ordinem quendam redegisse atque contulisse in unum librum quem ita confectum praefatione instruxit. Eadem fere est sententia Holtzii syntax. priscc. scriptt. latt. II p. 212 e. s. ad quam alia via pervenit R. Klotz annal. philol. et paedagog. nov. supplem. 10 a. 1844 p. 5—73. Sed satis indicatum duco qualis et unde orta sit illa inter varia Catonis scripta sermonis discrepantia. Jam ad ipsam quaestionem accedam quae erit bipartita: priore parte ea tractabimus quae ad vocum formas spectant, posteriore quae usitato more referuntur in syntaxin.

I.

Varietas quae est in vocum formis, posita est partim in pronuntiatione ex qua pendet earum scriptura, partim in formatione qua comprehendemus etiam declinationem et coniugationem.

De vocum pronuntiationis scripturaeve varietate.

Sermonis est vulgaris qui quam facillimam petit vocum pronuntiationem atque celerrimam, litteras quasdam non solum commutare praesertim si sint inter se cognatae, sed etiam extrudere mediis e vocabulis et abicere in extremis quo breviores nascantur formae incitatiusque procedat oratio. Contra priscus sermo eam sequitur normam ut quam integerrimae serventur voces atque distinctae sint singulae litterae et syllabae. Urbanus vero qui in media linguae commutatione et conflictatione arbiter quasi et iudex versatur, ratione adhibita vocum formas eligit, priscas removet eas quae plane obsoleverunt quibusve consuetudo non iam utitur, eas sibi adsciscit vulgares quae multo usu tritae neque aures offendunt neque grammaticae praeceptis repugnant. At quoniam iudicium ac sensus hominum semper mutantur, facile fieri potuit ut posterior aetas alias vocum formas quae Catonis aetate vulgatae erant novaret, alias novatas iam Catonis ab aequalibus sperneret atque repeteret anti-

quiores*). Sed cum difficile et longum sit ea omnia afferre exempla quae tum novata postea quoque vigebant, ea tantum memorare praestat quibus sermo Catonianus in libris nostris discrepet vel discrepare oporteat a posteriore usu quibusque liber de re rustica distinctus sit a ceterorum librorum reliquiis.

Primum quod Cicero de orat. III 46 proprium tradit messoribus qui E plenissimum dicerent nonnullis in vocibus Iota littera sublata, idem ut vindicemus libro de re rustica nos monent multae lectiones Politianeae ex optimo codice adnotatae. Etenim cum in fragmentis praeter unum *ventus Cercius* quod Gellius II, 22, 29 affert pro *ventus Circius* ex Originibus, nullum talis scripturae exemplum invenitur, immo *spiciunt* pro *speciunt* i. e. spectant laudatur ap. Festum p. 344 M. ex oratione in Qu. Thermum, in libro de re rustica plurima habentur qualia *leveris* R. R. (intell. libr. de re rustica) 69, 2 (Pol.); *viveradicem* R. R. 33, 3 *doleum* R. R. 23, 2 (bis) *spongea* R. R. 162, 3. *trulleum* R. R. 11, 3 et quae sunt alia huiusmodi, quibus in rebus non est quod non agnoscamus sermonem vulgarem. Alia est causa qua vacillat in libris nostris scriptura formarum *omnis* (acc. pl.) J. 25, 6 (intell: H. Jordan, M. Catonis praeter librum de re rustica quae extant p. 25. v. 6.) J. 77, 6. 88, 4 et *omnes* J. 60, 6 R. R. 14, 1. vel *hostis* (acc. pl.) J. 17, 4. et *hostes* J. 24, 3 in quibus neque haec neque illa scriptura genuinam scriptoris manum refert qui scripserit *omneis* quod legitur R. R. 50 vel *hosteis* quod J. 35, 12. Idem docent *treis* R. R. 115, 2 et *leveis* R. R. 44**). Altera discrepantia pronunciationis habetur in iis vocabulis quae per **o** l. scripta in libro de re rustica, per **au** proferuntur in fragmentis qualia sunt *plaustrum* J. 11, 4. 28, 9. quod scribitur *plostrum* R. R. 2, 7. 5, 6. 62. 10, 2. 135, 1. vel

*) cf. Schuchardt, Vocalismus des Vulgärlateins I p. 44 sequ.

**) Hanc scripturam indicant: Rhodiensis (acc. pl.) J. 25, 3. Rhodienses J. 23, 4 spîca R. R. 70, 1 spêca J. 85, 13. ni pro ne R. R. 20, 1. 143, 1. cupîdiis pro cupediis J. 65, 6. lumine (dat. sgl) J. 16, 17.

caudex J 37, 1 quod contra *coles* R. R. 35, 2. *coliculus* R. R. 158, 1. *clostra* R. R. 15, 3. 135, 2. *olea posea* R. R. 7, 4 olla R. R. 7, 2. 156, 2. 158, 1. cett.

Propter inscitiam vocabulorum originis etiam consonae commutantur in vulgari pronuntiatione ita ut pro *medipontos* legamus *melipontos* R. R. 12, 1 et 68. quam scripturam in optimis duobus codicibus se invenisse testatur Victorius. Exempla similia collegit K. L. Schneider, Elementarl. I p. 257 cf. Schuchardt, Vocalism. I p. 142. Idem Victorius quocum Politiani conveniunt excerpta, docet vehiculi cuiusdam Gallici nomen quod vulgo *benna* audit vid. Paul. Festi p. 32 M., prima littera mutata *menam* esse scriptum R. R. 23, 2 cui lectioni, nisi mendum putatur librariorum, scriptura *Melerpanta* C. I. L. I, 60. pro *Bellerophontes* respondet. Denique vocabula aliqua quae pura a vocali incipere solent aspiratione sunt instructa in libro de re rustica velut *holus* R. R. 149, 2 *harena* R. R. 40, 2. 18, 7. 131. *harenosus* R. R. 34, 2. *harundo* R. R. 47, 1. 160, 1 multaque alia cf. Schuchardt, Vocalism. I p. 18 et 130.

Quae cetera sunt digna commemoratu de litterarum vacillatione et ad librum de re rustica et ad reliquorum librorum fragmenta pertinent. Quaestio enim oritur difficillima, ea vocum scriptura quam nunc nobis praebent libri, Catoni ipsi sit vindicanda an editioni scriptorum eius recentiori. Namque certe mirandum est, in adiectivorum superlativis similibusque vocum terminationibus velut *optimus* J. 39, 7. 43, 3. R. R. 6, 1. 7, 4 *septimus* J. 15, 6. *decimus* R. R. 57, 1 sine ulla exceptione i exilius pro u pinguiore positum esse, frequentem quoque esse vocum *monimenta* et *libet* scripturam pro ea, quam expectaveris *monumenta* et *lubet**).

*) monimenta J 33, 8. quadripes R. R. 96, 2 (Pol) manipretium R. R. 14, 5 (Pol. et Vict.). manipulus R. R. 115, 1 (bis). 156, 2 (bis). J. 35, 1. pontifex J. 27, 5. 16, 16. carnificinas J. 41, 7. lacrimas J. 41, 10 libet R. R. 52, 5. libentius R. R. 5, 5, 6. etc. manubiae J. 37, 11. manupretiosus J. 72, 23. monumenta J. 19, 18. lubet J. 16, 16. 23, 10. R. R. 3, 2. acrufolius R. R. 31, 1 cf. Corssen, Ausspr. II p. 137 ed. 2.

Tum in dubio relinquitur utrum scribendum sit *verto* an *vorto, versus* an *vorsus* quas voces primus per *e* litteram scripsisse dicitur P. Scipio (Quintil. I. 7, 25). — Quamquam nulla talis scriptura Catonis aetati penitus abrogari potest, tamen quod scriptura antiquior aut nusquam aut rarius habetur, maximae est offensioni atque suspicionem movet, omnia Catonis scripta iam Plinii tempore aut etiam antea novam passa esse recensionem de qua nostri libri manaverint. Quam suspicionem auget Festi adnotatio p. 242 M.: *s Cato saepe dicit ut arboses* quae tribus tantum confirmatur documentis iisque ne insignibus quidem *robus* R. R. 17, 1. *melios.* R. R. 4, 1. *honos* J. 51, 1. 83, 2. Servum autem acervumque et alia eiusmodi quae usque ad Quintilianum per u et o scripserunt, semper u gemina invenies expressa exceptis *equos* J. 16, 6 *aequom* R. R. 146, 3 (Pol.) *convolvolus* R. R. 95, 1 (Pol) *volt* J. 11, 4 (sed *vult* J. 59, 5). Etiamsi igitur H. Keil recte contenderit hac re recentioris linguae formam induisse librum de re rustica, tamen ut omnem assequeretur veritatem, idem iudicium eum ferre necesse fuit de reliquis scriptis: sed plane errat v. d. cum priscas vocum formas in hoc libro magis deprehendi negat quam in reliquis. Nam aspiratione quam ubique nobis usitato more in consonis praebent fragmenta, nusquam nisi in vocali usos esse antiquos atque ita locutos ut pulcros et Kartaginem dicerent testis est Cicero orat. 48, 160, cuius sententia comprobatur inscriptionibus ante a. 650. u. c compositis. Quam veram illius aetatis scribendi rationem plurimae lectiones illorum a Politiano et Victorio collatorum codicum tradunt, qui habent: *sulpur* R. R. 95, 1, 2. 39, 1. *spaerita* R. R. 82. *orcitem* R. R. 6, 1. 20, 2. *encitum* R. R. 80. *canterio* R. R. 149, 2 *opturarier* R. R. 154 (bis) alia: contra scribitur in fragmentis *cantherio* J. 58, 10. *pharmacopala* J. 58, 3. *Antiochus* J. 39, 11. *Karthaginienses* J. 20, 12 reliqu. Similiter y littera quam prisci per u vel i exprimebant ut plerumque est in libro de re rustica*),

*) Talia sunt: cuminum R. R. 119. 121. 156, 5. 7. 157, 9.

ubique non mutatur in fragmentis nisi quod H. Jordan 36, 10 (Charis. II p. 184 P. = p. 205 Keil) correxit *Thermopuleis* ad cod. Neapol. scripturam *thermopolieis*. Antiquiorem scripturam quamquam propter subsidiorum inopiam certum explorari non poterat, servasse videtur hic liber tum in eo quod haud raro vice x litterae posita est *s* vel *ss*, (vid. Schuchardt, Vocalism. I p. 132.) e. g. *lassus* R. R. 20, 2 (Pol) *sestarius* R. R. 10, 2 (Pol). 158, 1, 2 (Pol). *destra* R. R. 18, 2 (Pol) tum quod mediae et tenues quas dicunt consonae inter se commutantur. Exempla sunt: *quod annis* R. R. 47 (bis). 73. 143, 3. *adque* R. R. 22, 1. 82. 48; 1. (J. 34, 6) *aliquod dies* R. R. 157, 15. 158, 2. *quod* pro quot R. R. 14, 4. 40, 3. 43, 2. 62. 115, 2. *regentes* R. R. 25 (Pol) pro recentes. Contra tenuis est pro media: *opsequito* R. R. 5, 6 (Pol) *suptile* R. R. 143, 3 (Pol) *opturarier* R. R. 154 (Pol) *aput* R. R. 46, 2 (Pol). *set* J. 41, 10. *haut* J. 16, 9. 23, 7. (cf. Schneider, Elementarl. I p. 217). Antiqui enim ita scribebant uti loquebantur, unde explicanda est etiam scriptura vocum: *cocas* R. R. 76, 2. 84, 2. 86 (Pol) *aecum* J. 64, 6. *secuntur* J. 14, 2. vel *sumpsio* R. R. 145, 2 *sumptuosus* R. R. 1, 6 (bis) J. 82, 10. *emptus* R. R. 22, 3 (bis) *emptitavere* J. 69, 7 *condempnaverit* J. 71, 7. atque *nassiterna* J. 62, 1. R. R. 11, 3. 10, 2. *essitarit* R. R. 157, 10. *lasserpicium* R. R. 116. (Pol). 157, 8. *lasserpiciatus* R. R. 116. *Cassino* R. R. 135. 37. (cf. Schuchardt, Vocalism. I p. 149.) Prae tot argumentis quae antiquitatis colorem tuentur nullo loco sane numerandum est quod liber de R. R. reliquis cedit auctoritate ac fide scripturae vocum *foenum* R. R. 5, 8. 8, 1. 27. 35, 1 *coenare* R. R. 156, 1. 157, 12 et quae sunt similes. Veram scripturam: *fenum* J. 73, 14. *fenore* J. 39, 10. *cena* J. 21, 3. praebent fragmenta secundum

amulum R. R. 87. cotula R. R. 146, 1. serpullum R. R. 73. epitirum (ἐπίθυρον) R. R. 119. dispepsia R. R. 127. apsintium R. R. 159. cett. Contra in fragmentis: symbolos J. 37, 14 Illyrio J. 25, 6 reliqua.

Gellii testimonium qui dicit XVI, 12, 7—8 M. Catonem *faeneratorem* sine a littera pronuntiasse. Eodem spectant verba Varronis L. L. IIII. 19 Speng.: *In Latio rure hedus quod in urbe ut in multeis a addito haedus.* cf. Schuchardt Vocalism. II p. 293.

Ceteras varietates ortas esse diximus ex commutationibus litterarum mediis et extremis in vocibus factis quo facilior esset et fluxa pronuntiatio. Quae sunt tres potissimum, una cum litterae ita tabescunt quasi et evanescunt ut vocales pinguiores exilius sonent, altera cum littera quaedam antiquitus per epenthesin recepta denuo per syncopen amittitur aut per synaloephen syllabae contrahuntur, tertia cum in fine per apocopen voces obtruncantur.

Primum genus maxime cernitur in verbis cum praepositionibus copulatis ubi semper si fieri potest genuinae verborum vocales ad ipsarum naturam molliuntur, velut verbum *redarguisse* Festus p. 237 M. docet a P. Scipione *rederguisse* esse pronuntiatum. Haec nobis sufficiant Catoniana: *defetigatum* J. 19, 11. *decerpito* R. R. 112, 3. *resicare* R. R. 33, 2. 47 (Pol) *dehorito* R. R. 66, 2 *existimare* R. R. prf. (quater) *defrudare* R. R. 24, 2. Si qua abhorrent ab hac regula, aut cum his non confundenda sunt quale est *super sedeat* R. R. 5, 1 in quo praepositio veri obtinet adverbii locum, aut corrigenda cuiusmodi duo tantum habentur: *intellegendo* J. 23, 1 (Gell VI [VII], 3, 14) quod ab H. Keilio e codice Vatic. receptum in ceteris cod. et R. R. 157, 16 *intelligendo* legitur; tum *peremat* J. 81, 5 cui scripturae obstat *eximere* R. R. 20, 1. 47. 61, 2 (cf. Schneider, Elementarl. I p. 14).

Secundum genus ea nobis luculenter demonstrant vocabula quae v et j semivocalium praecipua vi ac potentia immutantur admissa sive syncope sive synaloephe. Qua ratione ponuntur formae *oletum* R. R. 1, 7. 61, 1 et *siris* R. R. 141, 2 pro amplioribus *olivetum* R. R. 44, 1 et *siveris* R. R. 4, 1 (cf. H. Keil, obs. crit. p. 44) *desierit* R. R. 155, 2, tum *posui* R. R. 37, 3. 162, 2 J. 56, 3

pro *posivi* quod est R. R. prf. 1. R. R. 4, 1. J. 37, 8. *nauta* J. 45, 11 pro *navita* J. 38, 7. 45, 10 *irriguus* R. R. 1, 7. 149, 1. pro *inrigivus* R. R. 50 (Pol), etiam *ferverit* R. R. 157, 9. 115, 1. 96. *pluerit* R. R. 112, 2. 129. non sunt loco movenda. Quod contractionis genus item cadit in perfectum coni. vel futurum II ind. act. velut *aegrotarint* R. R. 2, 4 *delegarit* R. R. 149, 2. *postularit* R. R. 148, 2.

Uno tantum i scribenda sunt composita verbi iaciendi ut *proicit* J. 34, 8 (cf. Gell. IIII, 17, 15. Keil.) *traicere* J. 11, 4 *eicito* R. R. 115, 1. 119 (Pol.) *coicito* R. R. 33, 5. 37, 2. 83 (bis) 115, 1. 157, 9 (Pol). Simili modo et ratione semper in codice Marciano scriptum erat *preti* R. R. 14, 5 *Pompeis* R. R. 22, 4. 135, 2, quae sunt alia pro pretii, Pompeiis. — Etiam h et r non raro eliduntur in v. *prehendere* quod *prendere* scriptum est R. R. 160. 90. J. 51, 4 et *sursum* quod *susum* R. R. 157, 15. 32, 1 (Pol.) 61, 1. *deosum* R. R. 162, 1 (Pol).

Saepius autem accidit idque maxime in libro de R. R. ut e, i, u breves vocales mediis e vocibus eiciantur, cuiusmodi est *pascales oves* pro *pascuales* quod Festus p. 242 M. explicare sibi visus est ex inscitia scriptoris. Huc referenda sunt praeter innumera illa adiectiva quae cadunt in *eus* materiem indicantia qua quid factum sit velut *ficulneus* R. R. 31, 1. 54, 4 quod scribitur *ficulnus* R. R. 30. (Pol). 37, 5. formae *sies, siet, sient* quae saepe scribuntur *sis, sit, sint*; porro *calefacio, arefacio* et *calfacio, arfacio*; item *dextra* quod semper pro dextera habetur — tum i omissa: *caldus, postum, oletas* quae contra i epenthetice addita: *solistitium depsiticius**). Denique u omissa est in v. *promptarium* R. R. 11, 3

*) calfacio R. R. 69, 2. 76, 2. 110. 157, 10. arfacio R. R. 69, 1. 125, 1. 157, 12. dextra J. 35, 12. 82, 6. R. R. 18, 2. 21, 2 (bis) 160. 161, 1. — caldus R. R. 6, 1, 2. 75. 76, 4. 79. 80 (bis) 157, 10. calidus R. R. 65, 2. 81. 156, 4, 5. 157, 3, 4, 8. expostum R. R. 151, 2 (Pol) posturus R. R. 161, 3 (Pol) positum R. R. 154. depsiticius R. R. 74 (Pol) solistitium R. R. 104, 2 (bis) solstitium R. R. 17, 1. 41, 1. oletas R. R. 144, 5 (Pol.) oleitas R. R. 144, 2.

(Pol), *vincla* R. R. 41, 4. (Pol), sed *capulator* legitur R. R. 66, 1 pro *caplator* quod est Orelli, inscr. lat. 2239 et 3765.

Tertii generis plurima sunt exempla secundum verba Prisciani VII p. 334 Hertz: *hic et haec celeris. M. Cato de re militari: Satis celeris sis in tempore.* Quae antiqua nominativi adiectivorum in genere masculino positorum terminatio cum hoc in exemplo est, in aliis desideratur de quibus in declinatione vocum disputandum erit. Huc spectat Fest. p. 286. M: *recipie* apud Catonem pro *recipiam.* Dicit enim m omissam esse quod idem de illo Catoniano R. R. 146, 1. *dato iri* Scaliger summus vir docet ad Varr. de re rustica II, 4, 13: *M omissum in fine, u praecedens in o mutatum**). Cuius rationis fortasse est etiam *utito* R. R. 96, 2 (bis). 107, 2. 123. 126 pro *utitor* quod invenitur R. R. 117. 119. 127, 1. Item *opsequito* R. R. 5, 6 (Pol.) et *praefato* R. R. 134, 1. Aliud apocopes exemplum refertur ex Originibus ap. Charis. I p. 99 P. = p. 124 Keil *biber* pro bibere. Sed opus non est grammaticorum auctoritate cum plurima alia servaverunt libri nostri exempla quae apparent ex usu promiscuo v. *donicum* et *donec, uti* et *ut, face* et *fac.* Idem docent tritae illae verborum formae *fecere, loquare, peragi* pro *fecerunt, loquaris, peragier* et praepositiones *uls, cis, am***). Argumento sunt denique illa vocabula quae ex pluribus in unam quasi coaluerunt notionem qualia *mihipte* i. e. mihi ipsi. Cato ap. Paul. Festi p. 152 M. *vopte* ibid. p. 379. *suapte* Charis II p. 195 P. = p. 219 Keil. *siremps* i. e. si rem ipsam. Fest. p. 344. M. *sultis* J. 63, 1 (si vultis J. 71, 1).

*) Similia sunt: ostende ap. Fest. p. 201 M. attinge Paul. Fest. p. 26 M. dice ibid p. 72. baruce R. R. 139. (Pol). Eadem ratione n littera saepissime omittitur in vocibus cum praepositione con copulatis ante v et vocales: copertus J. 89, 23. covenire J. 58, 1. coaddito R. R. 40, 2. coicito R. R. 33, 5 cett.

**) donicum R. R. 146, 2. J. 43, 4. donec R. R. 43, 2 cett. uti J 23, 5 ut J. 40, 9 cett. face R. R. 32, 1. 37, 5. fac R. R. 26. 31, 1. 161, 4. — peragier J. 27, 2. et opturarier R. R. 154 singulares extant formae infinitivi praes. pass. — uls J. 88, 14. cis J. 10, 20. am J. 30, 8.

videsis J. 37, 18. *animadverti* J. 36, 5. (*animum advortito* R. R. 1, 2) *veneo* J. 66, 6 R. R. 2, 5, 6. 7, 1. cett.

De vocum formatione.

Jam antiquos non effugit bene meritum esse hac re de linguae latinae progressu Catonem qui ditaverit patrium sermonem et nova novarum rerum nomina protulerit ut ait Horatius ad Pis. v. 56. Novantur autem verba secundum Fortunatianum art. rhet. III, 3 primo cum Graeca transferuntur et nova ex his Latina confinguntur, deinde cum per conglutinationem et derivationem nova fiunt. Ampliore denique formationis significatione complectimur etiam vocum flexionem quippe quae principio ex conglutinatione sicuti derivatio orta sit.

Sed hic non refert copiosius illustrare vocabula de Graecis petita quae sunt omnia termini qui dicuntur technici atque ita transformata ut radici vocum non mutatae vel etiam mutatae ad pronuntiationis Latinae normas terminatio subiungatur Latina, quomodo ex οἶνος εὐγενής factum est *vinum eugeneum* R. R. 6, 4 vel ex οἶνος ὀριγανίτης *vinum origanitum* R. R. 127, 2. vel ex κάλαθροι *clatri* R. R. 4.

Neque singulare quidquam reperitur in conglutinatione vocum discedensque a consuetudine posteriore praeter illud quod grammatici tradunt, praepositiones duas nonnunquam esse coniunctas apud Catonem ut *circumcirca* J. 89, 29 et *praeterpropter* J. 89, 30 quibus add. *insuper* R. R. 40, 4. 76, 4. *introrsum* J. 87, 5 *transvorsus* R. R. 45, 3 *extrinsecus* R. R. 38, 3 cett. Talia tamen non praepositiones sed adverbia sunt habenda, cum omnes praepositiones quod principio fuerunt adverbia pro adverbiis usurpari possint. Idem ex tmesi apparet quam et adverbia quae postea artius sunt verbis coniuncta et praepositiones admittunt, ut exempla afferam *insuper et circum operito* R. R. 76, 4 *circumque sepito bene* R. R. 46 *ferve bene facito* R. R. 157, 9.

Liberius quam hac ratione Cato nova vocabula effinxit

derivatione qua quod multis probatur exemplis audacter feliciterque usus est. Quamvis enim a Quintiliano I. 6, 42 *tuburcinabundus* et *lurcinabundus* quae quidem in quo verborum fuerint continuo nexu quove orationis colore nescimus vituperentur ut horridiora, formam quandam ingenii haec et omnia ab eo inventa indicant neque laedunt linguae indolem atque naturam. Quod in vitium incidisse notum est Attium et Pacuvium qui finxerunt *quadrurbem* (τειϱάπολιν Att. ap. Fest. p. 258 M) et *incurvicervicus* (κυϱταύχην Pac. ap. Varr. L. L. 5, 7 Sp.). Sunt autem quae derivantur in duo discernenda genera 1) quae verbis finguntur nomina et verba, 2) quae a nominibus substantivis et adiectivis originem ducunt. In priore genere ponimus verba iterativa et frequentativa quorum aeque ac nominum deminutivorum frequentissimum usum vulgari sermoni addicimus. Praeclara sunt: *latitavere* J. 87, 19. i. e. saepe tulerunt. *vectare* R. R. 10, 1. *vectitare* J. 59, 1. *datare* J. 37, 14 *subrectitare* J. 64, 7 *flexare* R. R. 49, 2 *fruniscor* J. 87, 14. formula *heredem sectari* J. 54, 8 pro usitata *heredem sequi.* Praeterea memorentur substantiva in *io, ies, ura, or* quorum permulta in obsoletis numeranda sunt vel propter terminationem ut *usio* R. R. 149, 2. 145, 3. 38, 4 *súmpsio* R. R. 145, 2 *exercitio* J. 83, 9 vel propter insignem notionem ut *ministrator* J 81, 5. *procubitor* J. 81, 6. *grassator* J 83, 4. alia.

Sequantur alterius generis exempla quo spectant *grandire* R. R. 141, 2 *sublimare* J 15, 2 (i. e. *sublimem facere, extollere*). *plumbare* R. R. 21, 5. 20, 2 *fecare* R. R. 153 *lutare* R. R. 92 *lasserpiciare* R. R. 116 similia quae significant plumbo, faece, luto, lasserpicio aliquid instruere. E numero substantivorum praeter permagnam copiam eorum quae suffixo *mentum* sunt formata maxime commemoraverim haec: *claritudo* J. 15, 1. *cupido* J. 47, 14. *duritudo* J. 48, 15 quibus postea *claritas, cupiditas, durities* praeferebantur. Pervulgata esse monui nomina deminutiva et substantiva velut *portisculum* J. 66, 5 *punctatoriolas* J. 53, 16 *orbiculus* R. R. 3, 6 *resticula* R. R. 110. *fossula* R. R. 161, 4

codicilli R. R. 55. 130. et adiectiva qualia sunt *mediocriculum* J. 34, 13 *vetulus* R. R. 2, 7. *minusculus* R. R. 7, 2. Item plura inveniuntur adiectiva in superlativo gradu posita quam in positivo eaque nonnunquam non solum ab usu sed etiam a grammatices regulis digredientia. Exempla habes *beneficissimus* J. 43, 3. *strenuissimus* J. 19, 1. R. R. prf. 4. *arduissimus* J. 38, 9 *perpetuissimus* J. 45, 7 *tenuissimus* R. R. 61. *maturrime* J. 34, 1. (*maturissime* J. 36, 11). Addantur formae comparativae *munificior* J. 72, 15 *magnificius* J. 66, 4 *veterior* J. 9, 3 *innoxiior* J. 42, 10 *industriior* J. 55, 12 *perpetuius* J. 55, 3. *arduius* J. 85, 6. Etiam participia perf. pass. comparatione induuntur qualia *minutissimus* R. R. 95, 2. 107, 1. *ratissimus* J. 42, 3. *incultior* J. 60, 4. *desertior* J. 60, 4 *repulsior* J. 60, 5. *curatior* R. R. 103.

Alia quae in hunc locum trahi poterant potius ad flexionem vocum referenda putavi de qua nunc agemus. Qua in disputatione prae ceteris qui Catonis scriptorum rationem habuerunt viri docti opera adiuti sumus Neuii*).

De dèclinatione.

Quod multa inveniuntur substantiva quorum genus discedit ab usu postero itaque aliis plerumque adhibitis terminationibus declinatio variatur, haec omnia curae mihi erat ut colligerem, sed ne nimis producatur haec disputatio, singularum rerum singulas causas proferre non possumus. Tantum collectione istius modi vocabulorum sive quod manaverunt e sermone vulgari sive quod omnino eo tempore constituta nondum fuit dicendi norma ostendere et demonstrare voluimus, multo maiorem partem exemplorum inesse in libro de re rustica qui hac quoque in re magis quam fragmenta vel tantundem servavit antiquitatis colorem. Nomina substantiva quae in fragmentis alterius generis conspiciuntur, alterius in libro de re rustica haec sunt:

*) Neue, Formenlehre der lat. Sprache vol. II 1866/61.

ex alvo lavando J. 78, 7. — *alvus cruda, bona* R. R. 125. 156, 1. *culleum* J. 10, 22 — *culleus* R. R. 148, 1. *papaver* Gallicanus J. 11, 5. — *papaver* (neutr.) R. R. 38, 4. 79. 84, 2. *dierum dictarum* J. 33, 1. — *dies* (masc. pl.) R. R. 143, 2. Reliqua partim in utroque scriptorum genere congruunt ut *gelus* pro *gelu* J. 14, 5. R. R. 40, 4. partim in alterutro extant sola quae sunt in fragmentis *collus* J. 71, 1. *symbolos* J. 37, 14. *clypei* J. 30, 10. *tributus* J. 30, 5. — in libro de re rustica: *trapetum* R. R. 135, 7 *trapetus* R. R. 12, 1. 22, 3, 4. 18, 5. 135, 2, 6. 146, 3. *praesepis* (fem.) R. R. 4, 1. 14, 1. *amnis* (fem.) R. R. 1, 3. *stirps* (masc.) R. R. 40, 2. (cf. de nom. Drakenb. ad Liv. I, 1, 11.) *scrobes altos* R. R. 43, 11. *hallex* (fem.) R. R. 58. *omne caseum* R. R. 76, 3, 4. *murta* (fem.) R. R. 125 (bis) *cummis* (masc.) R. R. 69, 1, 2 (bis) *catinum* (neutr.) R. R. 84, 1. *qualus* R. R. 52, 1 (bis). *qualum* R. R. 68. 11, 5. *canalis* (masc.) R. R. 18, 2. (fem.) R. R. 18, 6. *pulvinus* R. R. 11, 5. 13, 1. *fabulos albos* R. R. 70, 1 (cf. Gell. IIII, 11, 1.) *asseres* (masc.) R. R. 14, 1. *asserculum* R. R. 12.

Supra iam explicatum est velocitate quadam in dicendo haud paucas voces in fine ita esse curtatas ut penitus amitterent extremam syllabam eoque linguae studio ea fere aetate maxime correptum esse nominativum singularis qui facillime relationis nota carere potuit. Confirmant hoc magis quam revincunt conplura illa nomina quae genuinam nominativi terminationem tuentur ut *supellectilis* J. 60, 1. *lacte* J. 85, 11. R. R. 86. 150. *vomeris* R. R. 135, 2 (cf. Keil obs. crit. p. 57). *vasum* J. 72, 22. R. R. 66. 71, 1. *ipsus* R. R. 70, 2. 71. quorum omnium perexiguus iam est numerus prae illis quae nudam vocis radicem exhibent aut immutatam qualia *sanguen* J. 19, 11. 65, 5. *Anien* J. 48, 4 *super inferque vicinus* R. R. 149, 1. *citer ager* J. 65, 9. aut ad pronuntiationis leges mutatam qualia *damnas* J. 24, 12. *mansues* J. 84, 1. *trapes* R. R. 145, 1. 18, 2. Semper vero servasse videntur terminationem etiam in masculino genere nomina adiectiva quorum radices in i olim cecidisse

constat. Haec inveniuntur exempla in fragmentis: *Capenatis* J. 9, 4. *Ardeatis* J. 12, 11. *Arpinatis* J. 14, 1. *Samnitis* J. 67, 1. *mensis Novembris* J. 48, 5. *ager campestris* J. 4, 15. *celeris* J. 82, 4. In libro de re rustica valde dolendum est nullum extare documentum quo aut confirmetur haec nostra sententia aut refellatur.

Illis exemplis facile cum perducamur ad opinionem nominum radices in i finitas ut in nominativo sgl. ita in reliquis casibus propriam suam declinationem retinuisse, neque contraria sunt huic rei fragmenta, docemur nonnullis de re rustica libri locis principium iam tum factum esse ea nomina aeque flectendi atque quae finiuntur consona. Argumento sunt formae: *parti* (abl.) R. R. 136. (bis) et *parte* R. R. 136. (bis); *in campo Tiburti* J. 13, 11. et *in agro Cassinate* R. R. 136; *febrim* R. R. 157, 9. et *sine febre* R. R. 156, 6. quas contra *luna silenti* R. R. 29. 40, 1. 50, 1. pro *luna silente.* Veram rationem sequuntur accusativi *lentim* R. R. 35. 116. *messim* R. R. 134, 1. *sementim* R. R. 17, 2. 27. 30. 33, 1. 34 (bis). *febrim* R. R. 157, 9. *cummim* R. R. 69. *securim* J. 14, 4. R. R. 13, 1. *pelvim* R. R. 10, 2. 11, 3. *restim* R. R. 77. et ablativi *funi* R. R. 22, 1. *igni* R. R. 95, 1. 110. quibus accedit forma insoleta *conpluria* J. 8, 16. quam H. Keil optime restituit R. R. 7, 1. (cf. obs. crit. p. 48). Cum his caveamus oportet ne eas confundamus formas quae ad locativum casum redeunt congruentem in lingua Latina antiquitus dativo. Quo referenda sunt haec exempla: *temperi* R. R. 2, 1. 3, 4 (cf. Keil. obs. crit. p. 44). *radicibus fini* R. R. 28, 2 cf. Gell. I, 3, 16 (ubi *fini* idem valet ac v. *tenus.*) *ansarum fini* R. R. 113, 2 *qua fini* R. R. 21, 3. 154. *quî* R. R. 6, 4. 7, 1. 21, 3. 39, 2. 104. *die proximi* J. 50, 3. *die quinti* J. 21, 2.

Certa lex desideratur etiam in fingendo dativo et genitivo singularis declinationis quartae. Nam praeter formas postea usitatas antiquiores habentur dativi *exercitu* J. 18, 2. *adventu* R. R. 142. *arbitratu* R. R. 146, 2, genitivi *fructi* R. R. 4, 1 *sumptui* R. R. 21, 5. 22, 3 (Pol). Similis forma declinationis

tertiae adnotatur a Gellio VIIII, 14, 10 ex Originibus. Catonis verba sunt: *pueri atque mulieres extrudebantur fami causa.*

In plurali numero discrepant ab usu postero ea nomina quae modo pure modo inpure ut ita dicam declinantur propter ambiguas vocum radices. Talia sunt: *boverum* R. R. 62. (quae Politiani lectio probatur H. Keilio obs. crit. p. 44 secundum codicum fidem et Varr. L. L. VIII 74 p. 446 Sp. cum *boum* legitur R. R. 83.) *holeris* R. R. 149, 2 pro *oleribus* quod est R. R. 156, 1. *iugeris* Cato ap. Charis. II. p. 134 K. Simili ratione explicandi sunt genitivi *culleum* pro *culleorum* R. R. 11, 1. *lorum* R. R. 63. cf. 135, 5. *triumvirum* J. 58, 8 *passum* J. 9, 7. *Opicon* J. 77, 9. *dium* J. 47, 16. J. 73, 12. *Rheginum* J. 15, 7. *pecuum* Cato ap. Gell. VI. (VII.) 3, 37. (J. 24, 11).

Denique silentio praetermittere non possumus, quod ad vocum formas pertinet, alia substantiva et pluraliter dici et singulariter quorum posteriores utuntur solo aut plurali aut singulari numero, alia vero in casibus poni quibus non iam utitur Ciceronis aetas. Huius generis exempla sunt: *daps* R. R. 132, 2. *neminis* J. 67, 7, illius: *precem* Cato ap. Fest. p. 242 M. (*preces* R. R. 139. 141.) *capillus* J. 29, 3. *iurum cultores* J. 30, 1. *aerum* J. 66, 8. *aeribus* J. 66, 9. *facierum* J. 69, 6. *lienes* R. R. 157, 7. *molae unae* R. R. 10, 4. 11, 4. 13, 1.

Difficillima est quaestio de adverbiorum formatione, quam ut hoc loco tangamus ipsa res cogit. Varii enim eiusdem vocis casus usurpantur sine ullo sensus discrimine ut *minimum* R. R. 66, 1 et *minime* R. R. 35, 1. *nimis* R. R. 46, 1 et *nimium* R. R. 3, 4. *quoquovorsum* R. R. 46, 1. et *quoquovorsus* R. R. 43, 2. quibus addenda sunt quoque ea, quae terminatione *ter* formantur velut *rarenter* R. R. 103 quod citatur ap. Charis. II p. 217 Keil. praeter *rare* ibid. et *raro* R. R. 157, 13. Qua in argumenti varietate certam sententiam dicere omnino desistimus atque ea satis habemus afferre exempla quae a grammatices regulis abhorrent,

qualia sunt *avariter* J. 69, 4. *largiter* J. 73, 10. *puriter* R. R. 23, 2. 112, 2. *fraudulenter* J. 69, 4. *sublimiter* R. R. 70, 1, 2. 71. *secunde* J. 22, 3. Charis. II. p. 220.

Pronominum in declinatione liber de re rustica eo differt a reliquis quod ea pronomina quorum terminari solet genitivus sgl. cuiuslibet generis per ius, dativus per i, analogiae causa etiam ad declinationem nominum, quasi sint nomina adiectiva, sumunt terminationes suas v. g. *hae rei* R. R. 14, 3. *illae rei* R. R. 153 et 154. *unae fibulae locum* R. R. 19, 1. contra in Orationibus *huic rei* J. 72, 1. *illi* (scl. formae) J. 85, 2*). Item nominalis flexio agnosci debet in formis *quoium* (gen. pl.) R. R. 139 et *queis* (abl. pl.) R. R. 68. 11, 2. 12. 26. cum pronominalis servatur in *eabus* R. R. 152. Singularia autem exempla *illimodi* J. 59, 5. *aliimodi* J. 51, 2. *istimodi* J. 50, 4 quae ne in Ciceronis quidem scriptis desunt redeunt ad locativum casum.

Pronominis indefiniti formarum differentia qua olim disiungebatur vis substantiva ab adiectiva, eo tempore plane sublata esse videtur. Argumento sunt: *Et luxatum si quod est, bis die aqua calida foveto.* R. R. 157, 4. Ibid.: *si quid contusum est, erumpet.* Cato in initio Originum J. 3, 12: *Si queis homines sunt.* J. 15, 3: *Quescunque Romae regnavissent.*

De coniugatione.

Differentiae quas conspicimus formarum in coniugatione natae sunt aut verborum radicibus ita variatis ut aliae efficerentur flectendi rationes aut terminationibus suffixis vel

*) Scripturae illius rei R. R. 25 et illi rei R. R. 26. ut incertae hoc loco omittantur, item R. R. 46, 1: terrae eae (gen.) et R. R. 142: eae vilicae (dat) quibus locis pronomen eae primo a Popma insertum est. Nihil autem probant verba Prisciani VI p. 227. Hertz: Idem (Cato) nulli pro nullius: Qui tantisper nulli rei sies, dum nihil agas. Est enim nulli rei dativus commodi cuius structurae alia sunt exempla R. R. 3, 2. et 38, 4. Genitivum si haberes cum Prisciano, statueres lectionem nullae rei.

obsoletis vel iis quibus genus verbi mutaretur ut passive flecterentur quae active flecti solebant et contra.

Prioris ordinis sunt haec: *lavare* quod modo ad coniugationem primam refertur modo ad tertiam: *lavato* R. R. 74. *lavito* R. R. 25. 65, 1. 96, 2 (bis). 157, 11. *artare* quod ad quartam: *artito* R. R. 40, 3. (bis) R. R. 41, 3 (bis). *artiveris* R. R. 40, 3; *ponere, glubere, tergere, sugere* quae cum tertiam sequuntur coniugationem tum alteram: *componito* R. R. 76, 1. 82. 162, 3. *componeto* R. R. 37, 5. *extergeto* R. R. 98, 2. 162, 3. (bis) *circumtergeto* R. R. 76, 2. *extergantur* R. R. 26. *tergi* (inf. pass.) R. R. 2, 4 (Pol). *glubebit* R. R. 17, 1. *glubito* R. R. 33, 5. *exugeto* R. R. 156, 3; *sallere* quod ad quartam flectitur (cf. Varr. L. L. V. 110): *salire* R. R. 23, 2. 162, 1.

Seorsum afferantur perfecta *premerint* R. R. 66 (Vict.) et *calliscerunt* J. 56, 2 quae plerumque ita explicantur ut reduplicatione amissa e voc. *pepremerint*, *cecalliscerunt* sint profecta.

In altero ordine exempla aliqua grammatices comparativae demum via ac ratione explicata prae ceteris memorari debent, dico obsoleta illa *duis* R. R. 141, 3. *edis* R. R. 157, 6, 9, 10. *edit* R. R. 156, 6 *edint* R. R. 53 (vid. H. Keil obs. crit. p. 44), quae quidem optativi formam induisse nunc apud omnes constat. Neque magis obsoleverat prisca forma pers. primae indic. fut. I. act. tertiae coniugationis in cuius loco posteri formam coniunctivi praes. substituebant. Testimonium habes Quintiliani I, 7, 23: *Quid? Non Cato Censorius dicam et faciam dicem et faciem scripsit? Eundemque in ceteris quae similiter cadunt modum tenuit?* add. Fest. p. 286 M.: *Recipie apud Catonem pro recipiam ut alia eiusmodi complura.* Fest. p. 201 *ostende* pro *ostendam*. Paul. Festi p. 72 M. *attinge* pro *attingam*. At in nostris libris legitur *dicam* J. 77, 1. R. R. 1, 7. *vincam* J. 77, 3. *coepiam* J. 73, 15. (quae mira forma ap. Paul. Festi p. 59 M. futurum tempus accipitur verbi quod est coepi). Disceptatum quoque est inter viros doctos qua ratione sit orta illa imperativi

singularis forma *praefamino* R. R. 141, 2 quacum conferas *fruimino* C. I. L. I, 199. et *arbitramino* Plaut. Epid. 5, 2, 30. Nunc fere omnes consentiunt et *praefamino* et *praefamini* aliaque eiusmodi principio fuisse participia formata ad analogiam coniugationis Graecae atque recepta ad significandam imperativi vim, quorum alterum quo significabatur numerus singularis mox intercidisse, alterum quo pluralis postea quoque viguisse. Eodem in capite quod prisco sermone confectum esse contendimus, perfecta coniunctivi act. habentur *prohibessis* R. R. 141, 2 et *servassis* R. R. 141, 3 quae antiquissimo tempore nata esse volunt ex *prohibevesis* et *servavesis*. Etiam *iussitur* R. R. 14, 1 ab aliis explicatur tali ratione ortum futurum II pass., ab aliis vero praesens passivi intelligitur verbi obsoleti quod est *iusso*. Futuri I act. coniugationis quartae vulgatae sunt formae *scibit, dormibit* R. R. 5, 5 *largibo*, J. 52, 11; semel reperitur *audies* R. R. 157, 16.

Iam accedo ad ea verba quae genus commutant. Deponentia quae sunt postero tempore notum est apud priscos scriptores et active flecti et passive, activa significatione aut ad formam mutata aut servata. Generis activi sunt: *auspicavi* J. 35, 10 *auspicamus* J. 47, 16 *furare* J. 61, 9 *largibo* J. 52, 11 quod est doponens J. 37, 6. Formas *utito, opsequito, praefato* ad alium locum contulimus. His exemplis addere non audeo lectiones *germen nascere* (inf.) R. R. 151, 4 et *nascebit* R. R. 95, 3 quamvis sint ascriptae optimo codici, quia alterum propter sensum *nocebit* emendandum videtur, alterum *germinascere* praesertim cum *nascetur* R. R. 128 et *nascentur* R. R. 91 legi constet. Passivam significationem induunt: *testatur* J. 59, 8. *execratus* J. 21, 6. *cohortatus* J. 25, 9 *expertus* R. R. 157, 10. Tum memorabilia sunt perfecta *solui* pro *solitus sum* Cat. ap. Varr. L. L. IX, 107 p. 535 Sp. et *ausi* J. 63, 4. (Prisc. VIIII, p. 482 H.) pro *ausus sum* J. 41, 9. item antiquiores formae *fiebantur* J. 48, 14 et *fitur* J. 42, 5. Magis etiam memorabile est quod verborum *posse et nequire* passiva coniuncta cum infinitivis

passivi usurpantur R. R. 154: *uti transferri possitur.* J. 8, 17: *Id nequitum (est) exaugurari.*

II.

Quamquam omnia fere quae hanc ad disputationis partem spectant, summa cum cura ac diligentia collegit et pertractavit Holtze in libro de syntaxi priscorum scriptorum latinorum qui prodiit Lipsiae 1861/62, tamen quia v. d. non ut Catonis sed ut universae linguae priscae proprietates demonstraret sive dispersim sive alia ratione qua nos volumus ea illustravit, denuo eadem opera subeunda est. Secernenda autem erunt quae sunt universae aetatis linguae propria ab eis quae Catonis ipsius in genere dicendi habentur. Illud genus putamus apparere potissimum e rationibus quae sunt in casibus nominum, in modis temporibusque verborum, in structura vocum et sententiarum, hoc maxime videri in abundantia et breviloquentia sermonis Catoniani, tum in eis figuris syntacticis quae comprehendi possunt nomine constructionis ad sensum.

A.

De casibus nominum.

Commentatione qua de casibus disputamus etiam de praepositionibus nobis dicendum est significationem addentium singularem generali casuum notioni. Quae est natura et virtus linguarum efflorescentium ut casuum notae et rationes optime perspectae vocibus suffigantur convenienter eleganterque, eam ne Catonis quidem aetati defuisse illustrari potest duobus verbis regentibus modo ablativum modo accusativum. Accusativus ponitur post verbum *uti* cui affinia sunt *frui* J. 73, 2 R. R. 149, 1 et *egere* J. 73, 4. ubi usus vel fructus ad totam rem refertur, ablativus ubi ad aliquam huius rei partem. Itaque *abuti* R. R. 76, 4 (cf. Keil obs. crit. p. 63) quod idem valet apud Catonem quod *absumere*,

cum accusativo coniungitur itemque simili significatione *uti* R. R. 123. 142. 143. 157, 8 (cf. Keil. obs. crit. p. 63), cum ablativo autem R. R. 96. J. 74, 2. Alia est ratio motionis verbi *ponendi* quod accusativum loci cum praepositione *in* coniunctum sibi adsciscere solet, si quid ab altero loco ad alterum asportari tantum indicatur, ablativum si quid significatur asportatione iam facta altero loco bene constitui. Atque semper cum accusativo coniunctum est v. *imponendi* J. 11, 4. R. R. 76, 2. 104. 108, 1. cum ablativo v. *componendi* R. R. 76, 1. 112, 2. Verbum simplex modo hunc modo illum sibi requirit casum prout notio mente concipitur velut: *ponito in scrobe* R. R. 49, 2 *in scrobem ponito* R. R. 52, 2. *in sole ponito* R. R. 87. *in solem ponito* R. R. 7, 5. Par est R. R. 157, 15: *Et si polypus in naso introierit* e. qu. s. R. R. 157, 14: *eo calamum alligato, ita premito, in fistulam introeat.*

Haec iam exempla cum doceant quanta elegantia prisci diversas adhibuerint casuum relationes quantumque in hac re subtilitatis lingua amiserit paulo inferioris aetatis, si omnia quae hanc in partem essent notanda afferremus, fines excederemus huius disputationis. In illis igitur nos continebimus exemplis quibus ea quam modo commemoravimus elegantia et subtilitas orationis maxime eluceat. Huc reponimus et praepositionum *ad, in, ex, de* usum praegnantem et proprias aliquas rationes casuum sine praepositione positorum.

Praepositione *ad,* cui proxime accedit *in,* nonnunquam finis et consilium actionis exprimitur quod aut animo propositum est aut ex ipsa rei natura proficiscitur R. R. 23: *face ad vindemiam quae opus sunt uti parentur.* cf. R. R. 14, 3. 15. 16. R. R. 39: *per imbrem in villam quaerito quid fieri possit.* cf. R. R. 12. 107. Tum locus significatur ubi res est post motum aliquem sive revera factum sive quasi factus sit cogitandum R. R. 7: *Ad fabrum ferrarium pro passis eae recte servantur.* cf. R. R. 145, 2. R. R. 156, 5: *brassicam in aquam macerare oportet.* cf. R. R. 39, 2.

52, 1. Loci autem significatio facillime transfertur ad tempus. R. R. 17: *ubi solistitium fuerit ad brumam* cf. R. R. 105. Haud sane dissimilis est usus praepositionis in iunctae cum accusativo ubi quid inter plures res vel homines distribui dicatur aut extendi et porrigi quasi in aliquod spatium. R. R. 60: *In iuga singula lupini modios CXX.* cf. R. R. 57. R. R. 6, 2: *Hoc genus oleae in XXV aut in XXX pedes conserito.* Quae omnia ad oculorum consuetudinem recedere non est cur multis illustretur.

Ablativo coniuncta eadem praepositio *in* adhibetur ut alia omittam ad exprimendam notionem non solum loci, verum etiam rei quae illo loco agitur R. R. 141, 4: *Marspater si quid tibi in illisce suovitaurilibus lactentibus neque satisfactum est.* cf. R. R. prf. 4. J. 18, 13; tum ad designandam actionem aliquam aut condicionem in qua quid est: R. R. 13. *In torcularium in usu quod opus est.* denique ut certum quoddam tempus significetur aut temporis continuitas iungatur cum temporis notione: R. R. 157, 3. *bis in die contritam inponito.* Item R. R. 64, 2. 87. 88. 89. 30. 57.

Non minus frequens est ablativus locativus positus post praepositiones *ex* et *de.* Insigni modo regitur a verbis ut emendi puta R. R. 1, 4: *De domino bono colono bonoque aedificatore melius emetur;* ita nascendi quo pertinet etiam esse: R. R. 3, 3. *damni nihil erit ex tempestate.* R. R. praef. 4: *at ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur.* R. R. 3, 4. 5, 7. R. R. 17: *semen de cupresso, de pino.* R. R. 108: *vini sextarium de eo vino quod voles experiri.*

Ablativus differentiae num in loco R. R. 4: *clatros interesse oportet pede* statuendus sit in dubium vocari licet, cum accusativus spatii quem expectes facillime deletus esse possit littera m in fine v. *pede* abiecta. Quod eo magis suspicandum quia accusativus ille in definiendis rerum mensuris tam late patet ut etiam post v. *opus esse* et *satis esse* absolute ut dicunt usurpetur. Exempla sunt R. R. 15, 2. *calcis in*

pedes singulos longitudinem opus est modium unum, arenae modios duos. R. R. 69, 2 *cummim p. IIII. satis erit**).

Iam singularis spectandus est usus ablativi absoluti. Applicatur a Catone gerundivis in formulis solemnibus ita tamen ut eorum notio abeat in praesentis. R. R. 134: *Iane pater te hac strue commovenda bonas preces precor.* Ibid.: *Uti te strue commovenda bonas preces bene precatus sum.* Ibid.: *Te hoc fercto obmovendo bonas preces precor.* cf. R. R. 139. 141. Talia quod in iis capitibus quibus precationes deorum continentur solis habentur, una e multis est causa cur sermoni prisco ascribamus. Ex quo haud dubie etiam fluxit illud *bona salute* R. R. 4: *si quid bona salute usus venerit.*

Quae ex dativi proprio usu consequuntur breviter absolvi possunt. Nam pleraque omnia exemplorum ad dativum quem vocant commodi reducenda sunt qualia R. R. 28, 2: *Id erit ei rei primum.* R. R. 10, 2: *ornamenta bubus.* R. R. 5, 3. 18. 23, 4. cett. alia ad dativum pendentem ex adiectivo velut R. R. 4: *vicinis bonus esto.* R. R. 6, 4: *qui locus vino optimus dicetur esse,* alia ad dativum rei coniunctum cum verbo substantivo R. R. 3: *et rei et virtuti et gloriae erit.* J. 85, 7: *qui tantisper nulli rei sies dum nihil agas.* R. R. 38, 4: *quae tibi usioni supererunt.*

Neque genitivi condicio ea est quae longa egeat disputatione. Hoc unum commemoratum volo genitivi partitivi usum multo ampliorem esse in sermone vulgari quam urbano, cum genitivus non solum ex pronominibus in genere neutro

*) Similia sunt R. R. 114, 1: duas partes terrae circumdato radices vitis. R. R. 93: amurcam cum aqua commisceto aequas partes. R. R. 122. 123: id mane ieiunus cyathum sumito. cf. R. R. 127, 2. Qui ita ortus est accusativus duplex probe distingui debet ab eo qui proprie dicitur atque habetur R. R. 15: sesquipedalem parietem dominus fundamenta faciat. R. R. 76: id utrunque tracta facito. R. R. 5, 4: neu quid dominum celavisse velit. cf. R. R. prf. 1. 2. 3. R. R. 9.

positis pendere possit ut R. R. 38, 4: *hoc signi erit.* 88, 2: *Id signi erit.* R. R. 32 et 33: *quod eius facere poteris* (cf. H. Keil obs. crit. p. 40.), verum etiam ad similitudinem linguae Gallicae loco obiecti cuius de copia vel numero certum non constet ponatur. R. R. 74: *aquae paulatim addito.* R. R. 88, 1: *amphoram impleto aquae purae* cf. R. R. 153. R. R. 23, 3: *uti in dolio musti pendeat.* R. R. 156, 6: *dato vini atri duri.* Quibus exemplis add. R. R. 157, 4: *In ea vulnera huiuscemodi teras brassicae.* Sic enim hoc loco pro vulgata scriptura *brassicam* legendum est secundum Pol. excerpta.

De modis et temporibus.

Unde magna in casuum relationibus fluxit varietas, indidem inopiam quandam relationum quae sunt modorum et temporum praedicati emanare oportuit, ut pote cum res non quomodo fieri possint sed quomodo revera fiant potius cogitentur. Quare indicativi usus multo liberior est quam postea, qui locum habet non solum in interrogationibus obliquis et enuntiationibus obiectivis quae illarum formam induere solent, verum etiam in enuntiationibus secundariis quae sunt interiectae orationi obliquae. Simili ratione indicativus hypotheticus qui dicitur facile explicatur, qualis extat R. R. 2: *Dicit vilicus sedulo se fecisse, servos non valuisse, tempestates malas fuisse, servos aufugisse, opus publicum effecisse. Ubi eas aliasque causas multas dixerit, ad rationem operum operarumque vilicum revoca.*

Coniunctivus vero qui non habet unde pendeat saepissime imperativi loco ponitur et in praeceptis R. R. 5: *Vilicus ne sit ambulator, sobrius siet semper, ad coenam nequo eat.* et in cohortationibus R. R. 2, 6: *reliqua quae sient ut compareant.* Quo in exemplo voc. *ut* significat *utinam* non aliter atque in his votis et optatis R. R. 134, 2: *Uti sies volens propitius.* R. R. 139: *Si deus, si dea es quoium illud sa-*

*crum est, uti tibi ius siet porco piaculo facere illiusce sacri coercendi ergo**).

Coniunctivus qui aliunde pendet, ne enumerem nisi maxime memorabilia, partim illis particulis regitur quae condicionem indicant, quo referendae sunt *si, nisi, cum, quasi, tanquam,* partim in enuntiationibus relativis ponitur de consilio (coniunctivus finalis) velut R. R. 11, 1: *dolia ubi vinaceos condat.* R. R. 31, 1. Ita saepissime adiungitur pronominis relativi ablativo qui coniunctionis instar est R. R. 5: *partim quo libentius boves curent.* R. R. 2. 11, 2, cett.

Postremo loco infinitivus spectandus est qui, cum omni definita carens distinctione actionem solam exprimat, modo pro substantivo verbali usurpatur R. R. 61: *Quid est agrum bene colere? bene arare. Quid secundum? arare. Tertium? stercorare.* R. R. 7. 9. 3. J. 9, 12; modo pro verbo finito (infinitivum vocant historicum) J. 11, 1. J. 17, 3—5; modo pro supino in *um* desinente post verba motum significantia vel pro coniunctivo finali post verbum dandi. R. R. 89: *bis in die farciat et meridie bibere dato.* cf. R. R. 73. Praeclare adhibetur infinitivus ad inscribendum capitibus velut R. R. 109: *vinum asperum quod erit, lene et suave facere.* (cf. H. Keil. obs. crit. 57.) R. R. 122. 128. 114. 115. 120. 127 multisque aliis locis quibus librariorum opera verba *si voles* inserta esse docuit H. Keil. obs. crit. p. 33. Quin etiam medio in verborum tenore infinitivus hoc modo ponitur et praesentis velut R. R. 2. (ter). R. R. 61. 160 et perfecti R. R. 2, 4 *per ferias potuisse fossas veteres tergeri* (Pol.: *tergi*). Ibid.: *cum servi aegrotarint, cibaria tanta dari non oportuisse.* Perfecto enim aeque atque aoristo Graecorum qui dicitur gnomico, repetita actio significatur quae non ad tempus praeteritum sed ad praesens spectat, ita nempe ut ex eo quod quid iam factum est idem iterum fieri posse

*) Pari vi praeditum est pronomen relativum R. R. 1, 4: qui in his agris praedia vendiderint quos pigeat vendidisse. ubi v. quos idem valet quod uti eos.

vel oportere concludatur. A qua locutione non longe abest formula quaedam linguae nostratis medii aevi: *er wolde in erslagen hân* quacum congruit J. 47, 16: *Domi cum auspicamus, honorem me dium immortalium velim habuisse.* Itaque interdicimus fortius et gravius per coniunctivum perfecti quam praesentis quia non aliquid non aliquando fieri, sed omnino nunquam factum esse volumus. Sic R. R. 5, 4: *ne quid emisse velit insciente domino neu quid dominum celavisse velit.* Ibid.: *haruspicem, augurem, hariolum, Caldaeum ne quem consuluisse velit.* R. R. 4: *ne siveris peccare.* R. R. 5, 3: *oleum mutum dederit nemini.* cf. R. R. 37, 1. 45, 2. 158, 2. 161.

Quamvis haec subtilitas in discernendis temporum notionibus paulatim obliterata sit inferiore linguae aetate, tamen altera parte posteriores modis et temporibus inter se referendis ad rationum discrimina tam subtilia pervenerunt ut aliam formam quasi indueret lingua. Etenim cum Catonis tempore omnis doctrina et ars in ea consecutione temporum sita esset ut praesentia et futura concordarent inter se cum praesentibus et perfectis coniunctivi, tempora praeterita cum imperfecto et plusquamperfecto: formae quas lingua posterior expressit tam variae extiterunt ut difficillima de consecutione temporum quaestio sit. Sed haec omnia artissime cohaerent cum sententiarum structura quae iam nobis tractanda est.

De structura vocum et sententiarum.

Sunt qui componendi artem defuisse Catoni dicant omnem aut si qua fuerit, non tamen ratione exercitam esse contendant. Quorum ego opinionem probare non possum, sed rectius omnino iudicasse puto Ciceronem qui Brut. 16, 62—17, 69 Catonis orationes ad illud referens dicendi genus quod tenue vocatum exponit Orat. 23, 75—26, 90 neque in laudando modum transit neque finem in vituperando.

Nam qui vocum structuram accuratius perspexerit, non

concedet modo scriptorem quantam potuit curam adhibuisse orationis exornandae verborum tralatione atque ut propria sint vocabula remque maxime explanent, verum ne desiderabit quidem vocum numerum quendam et ordinis mutationem*), cuius rei exemplum afferam orationis in Q. Minucium Thermum de falsis pugnis reliquias ap. Gell. X. 3, 17. Immutatur autem verborum ordo plerumque ita ut id vocabulum aut ea enuntiationis pars cuius maxima vis est ab initio enuntiationis collocetur. R. R. 1, 7: *praedium quod primum siet si me rogabis, sic dicam.* cf. J. 46, 1. 50, 5. Haud raro tamen contra evenit ut maxima enuntiationis vis in finem transmittatur. R. R. 5, 3: *Iniussu domini credat nemini.* J. 18, 16: *Sed istos, inquit, milites quadringentos ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit qui ducat?* Si duarum sententiarum membra alterius illa ratione, alterius hac collocantur, figura efficitur chiasmi quam ne Cato quidem ignoravit in Orationibus suis. J. 41, 2: *Decem viros Bruttiani verberavere, videre multi mortales.* J. 35, 3: *siquis strenue fecerat, donabam honeste ut alii idem vellent facere atque in contione verbis multis laudabam.* cf. J. 34, 11. 39, 7. Sed plus immutatur verborum ordo cum notiones quae arcte cohaerent distrahuntur et divelluntur. Quam collocationem synchysin nominatam patiuntur inprimis coniunctiones *ut, ne, si, cum, quando,* adverbia atque pronomina relativa. R. R. 1: *praedium cum parare cogitabis, sic in*

---

*) Anaphorae, epiphorae, epizeuxeos, gradationis, occupationis figuras quae habentur in oratione De sumptu suo (Fronto epist. ad Antonin. I, 1.) ut parum crebras praeteream. Certe docent ratione usurpatas esse allitterationem et annominationem haec exempla: Itaque ego cognobiliorem cognitionem esse arbitror. J. 26, 10. Eam ego viam pedetemptim temptabam. J. 36, 7. Dissuendae magis quam discindendae amicitiae. Cato ap. Cic. de amic. 21, 76. Equos carius quam coquos emebant. J. 83, 2. patremfamilias vendacem, non emacem esse oportet. R. R. 2, 7. alia. Verborum tralatio velut mare velis florere videres J. 34, 5. amnis qua naves ambulant R. R. 1, 4. quamquam non deficit Orationum et Originum reliquias, tamen magis propria est libro de re rustica.

animo habeto. J. 61, 1: *Nemo antea fuit super tali re cum hoc magistratu uti quaererem.* pleraque talia. Solemnis quoque est ille verborum ordo quo plura pronomina a notionibus suis seiuncta iuxta se ponuntur. J. 18, 19: *Ego hanc tibi et rei publicae animam do.* J. 63, 3: *Quod ego me spero ostenturum.* J. 33, 8: *Ego mihi haec monimenta sempiterna posui quae cepi.*

At vero sententiarum structuram infitiari nolumus multo esse rudiorem incomtamque, cum in eo maxime haereret vitio quod sequentes enuntiationes minus subiungebantur praecedentibus quam annectebantur, atque soluta minutaque evadebat oratio. Sed est simplicissima sententiarum structura in libro de R. R. Imperativo enim praemisso aut sententia condicionali oratio per coniunctiones copulativas ad ea pergit quae necessitate quadam inde consequantur R. R. 6, 3: *circum coronas et circum vias ulmos serito et partim populos uti frondem ovibus et bubus habeas — et materia si quo opus sit parata erit.* R. R. 96, 2: *Si haec sic feceris, neque scabrae fient et lanae plus et meliorem habebunt et ricini non erunt molesti.* Similis est ea structura qua duae enuntiationes primariae quae maiore cum arte una ex altera pendeant per orationem obliquam, ponantur in oratione recta. R. R. 5, 7: *nam res rustica sic est: si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies.* R. R. 38, 4: *Hoc signi erit: ubi calx cocta erit, summos lapides coctos esse oportebit.* J. 38, 10: *Cogitate cum animis vestris: si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet, benefactum a vobis dum vivitis non abscedet.* Qua in re saepe factum est ut subiectum enuntiationis secundariae in obiectum primariae mutaretur. R. R. 5, 5: *prius villam videat, clausa uti siet.*

Etiamsi in nonnullis Orationum et Originum particulis amplioribus, sive quod scriptor accusativo cum infinitivo*)

---

*) Accusativo omisso saepe ponitur nudus infinitivus velut R. R. 148, 2: d o m i n u s i u s i u r a n d u m d a b i t v e r u m f e c i s s e. J. 27, 4. 24, 3.

utitur sive quod enuntiationes relativas et finales interponit, aliquid sit structurae varietatis, tamen haec perpauca sunt exempla neque generalem componendi normam tollunt. Si aliae longiores sunt sententiae, videntur oculis, revera particulis *atque* vel *que*, quae plerumque in fragmentis usurpantur, vel *et*, quae propria coniunctio est in libro de R. R., conglutinatae sunt. cf. R. R. prf. 4. J. 19, 10. Quare circuitum orationis et quasi orbem verborum qui in singularum partium concinnitate et numero continetur apud Catonem frustra quaeres.

B.

De abundantia sermonis.

Si quod verbum ad amplificationem notionis cuiusdam additum omitti potest neque sententiae vis minuitur, aut notio quae propria unius vocis terminatione significari potuit circuitu verborum exprimitur, abundantia haec est sermonis, cuius apud Catonem permulta sunt exempla, alia dativi qui dicitur ethici R. R. 104: *hoc vinum durabit tibi usque ad solistitium.* alia cum pronomen personale aliis pronominibus praedicatove per appositionem additur J. 36, 5: *Id ego primo minus animadverti.* J. 63, 3 alia cum praepositiones tanquam supplementa adiciuntur casibus nominum. R. R. 10, 2: *Iuga cum loris ornata III.* J. 35, 15: *Inde pergo porro ire in Turtam.* Alia sunt quibus notiones aut subtilius describuntur aut gravius inculcantur quam vocum forma et collocatione fieri potest. Priore ratione duo substantiva ita coniunguntur ut alterum significet nominis genus, alterum speciem. R. R. 18, 3: *lapides silices.* R. R. 14, 4. 15: *ex calce cementis.* R. R. 18, 7: *et calce harenato.* cf. C. J. L. I, 577. J. 34, 5: *ventus auster.* J. 41, 5. R. R. 7, 4. J. 17, 3. 23, 9. 85, 8. R. R. 2, 7. 2, 2. 5, 8. 17. 20. 134. Similiter adiectivi *nullus* loco substantivum *nemo* additur ad pronomen *quisquam* et nomina substantiva J. 25, 8: *Quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est.* J. 23, 9:

si nemo esset homo quem vereremur. J. 85, 8: *caduceatori nemo homo nocet.* J. 41, 5: *nemo hoc rex ausus est facere**). Eodem consilio figura adhibetur quam grammatici vocant etymologicam. J. 33, 9: *laudant me maximis laudibus.* R. R. 134, 3 (ter): *bonas preces te bene precatus sum.* R. R. 139: Frequentissime scriptor usus est coniugatione periphrastica non solum usitassima illa fut. act. et perf. pass., sed etiam quae rarissima est praesentis R. R. prf. 4: *minimeque male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt.* R. R. 5, 6: *boves maxima diligentia curatos habeto.* J. 36, 15: *Me sollicitum atque exercitum habitum esse.* Ab his non sunt aliena ea exempla quibus supina verborum coniunguntur cum verbo aliquo motum indicante. J. 15, 9: *expiatum venire.* J. 35, 14: *proficisci servatum.* cf. J. 59, 1. 63, 7. 81, 10.

Altera ratione ut imperandi modus aut acuatur aut molliatur, imperativus vel qui eius loco est coniunctivus per particulam *ut* (*ne*) subiungitur verborum faciendi, studendi, curandi, videndi, cavendi alteri imperativo vel coniunctivo. R. R. 69, 1: *facito ut suppleas.* R. R. 67, 2: *caveat ne surripiatur.* alia plurima. Quae locutiones etiam amplificantur adiectivorum adverbiorumve superlativis cum particula *quam* vel *cum* iunctis. R. R. 66, 1: *caveat quam minimum in torcularium et in cellam introeatur.* J. 37, 15: *perge istuc quoque uti cum maxime delere.* Ut vis negationis augeatur non solum *uti* et *ne* coniuncta dicuntur significatione finali R. R. 33. 46. 21, 4: *Haec omnia eius rei causa fiunt, uti ne cupa in lapide conteratur.*, verum etiam duplex negatio *neque . . . ne* ponitur. R. R. 66: *Neque nucleis ad oleum ne utatur.* Proficiscitur autem vocabuli *neque*, quale usitatum est sermone prisco, vis ac potentia inde quod in suffixo *que* continuitatis notio inest. R. R. 141 (bis): *Mars*

*) Huc spectant quodam modo formulae R. R. 8, 2: fundus solum. R. R. 141, 1: fundum agrum terramque meam. R. R. 141, 3: fundi terrae agrique mei. R. R. 141, 2: mihi domo familiaeque nostrae R. R. 139: mihi domo familiaeque meae liberisque meis. R. R. 134, 2. 139. 141, 2: volens propitius.

pater siquid tibi in illisce suovitaurilibus lactentibus neque satisfactum est. Pariter sunt copulatae particulae *usque adeo donec* R. R. 86. 88, 1. 106, 1. 67, 2. 76, 4. [*usque adeo dum* R. R. 56. 95, 1. *usque donec* R. R. 43, 2. 54, 4. 156, 5. *usque dum* R. R. 110] cum ad simplex vocabulum *donec* (dum) rediit usus posterior. Tum praepositiones loci iunguntur cum praepositionibus sive potius adverbiis regionis. R. R. 40, 3: *Librum ad librum vorsum facito, artito usque adeo quo praeacueris.* J. 37, 18: *enim vero usque istuc ad lignum dele.* J. 35, 12: *Nostros pone versus hosteis esse ab dextra parte.* R. R. 104. 158, 2.

Denique abundantia sermonis quammaxime cernitur in circumlocutione et redintegratione verborum. Circumlocutionis enim vi ita immutatur oratio ut nominum praesertim notionibus nudis enuntiationes relativae substituantur. R. R. 18, 4: *uti siet stipites ubi stent.* R. R. 31, 1: *uti siet unde corbulae fiant.* J. 62, 5: *Illi unde petitur ei potius credendum esse.* R. R. 5, 7. 109. cett. Redintegrationem habes cum substantivum enuntiationis secundariae repetitur in primaria post pronomen *is*, aut hoc pronomen substantivi repetiti loco solum ponitur. R. R. 6, 1: *Ubi ager crassus et laetus est, sine arboribus, eum agrum frumentarium esse oportet.* R. R. 46. R. R. 5, 3: *amicos domini eos habeat sibi amicos.* J. 62, 5. R. R. 9 cett. Alia verborum repetitio extat R. R. 3, 1: *prima adolescentia patrem familiae agrum conserere studere oportet; aedificare diu cogitare oportet; conserere cogitare non oportet, sed facere oportet.*

De breviloquentia sermonis.

Abundantiae sermonis contraria est breviloquentia quam magna ex parte iam illustravimus cum de verborum casibus, modis, structura disputaremus. Restat ut tractemus formam eius praestantissimam verborum ellipsin qua frequenter Cato usus est in libro de R. R.

Constantes quodammodo sunt ellipses verbi in rebus enumerandis non dissimiles ab eis quibus etiam nos in com-

putandis rationibus uti solemus. R. R. 12: *In torcolarium quae opus sunt vasis quinis: prela temperata V. supervacanea III. suculas V.* et quae sequuntur R. R. 11: *Vinea C iugerum: vilicum, vilicam, operarios X.* e. q. s. [scl. *requirit*]. cf. R. R. 10. 4. 13. Similiter toto ex capite verbum finitum petamus oportet in hoc exemplo R. R. 90: *palumbum recentem* [int. *sic farcito*]: *ubi prensus erit, ei fabam coctam tostam primum dato.* Paria sunt R. R. 70. 81. 83. Constans quoque est ellipsis particulae *quam* post comparativos *plus, amplius, minus.* R. R. 17: *postea usque adeo sunt plus menses* VIII. R. R. 45: *ne plus IIII digitos transvorsos emineant.* J. 24, 9: *mille minus dimidium familiae multa esto.* cf. J. 48, 4. J. 11, 18. R. R. 49. 89. 113. Incertum est exemplum R. R. 21, 2: *sub supa tabulam ferream, lata cupa media erit, pertusam figito.*, in quo tantum abest ut agnoscamus ellipsin ut potius librariorum negligentia mendum irrepsisse putemus in libros nostros. Etenim cum verba *cupa media* in ablativo differentiae esse posita intelligas, voc. *lata* sibi requirit pronomen *quae*, ut legamus: *sub cupa tabulam ferream quae lata cupa media erit pertusam figito.* Aliae ellipses profectae sunt ex breviloquentia scriptoris qui saepissime verbum quod est duabus enuntiationibus commune in una ponit, in altera omittit. R. R. 5, 3: *Duasa ut tres familias habeat unde utenda roget et quibus det: praeterea nemini.* R. R. 3. 7. 57. 58. 59. 60., ut obiectum quod referendum erat ad conplura verba diversos casus regentia refert ad unum R. R. 5: *familiae male ne siet, ne algeat, ne esuriat, opere bene exerceat.*, itemque vocabulum quod est alterius sententiae subiectum, alterius obiectum semel ponit. R. R. 155: *aquam deducere in vias et segetem curare oportet uti fluat.* Neque praetereundum censui hoc loco verbum substantivum, quod ubi ponitur saepe veri verbi significationem servat*), haud raro in copulandis

*) R. R. prf. 1: Est interdum praestare mercaturis rem quaerere, ni tam periculosum siet. R. R. 1, 3: oppidum validum prope siet.

subiecto et praedicato omissum esse. J. 49, 9: *Quod attinet ad salinatores aerarios, cui cura vectigalium (est), resignat.* R. R. 140: *dum opus (est), cotidie per partes facito.* Frequentissima est haec ellipsis in coniugatione periphrastica maximeque apud gerundium R. R. 141: *suovitaurilia ... circumferenda censeas.* J. 41, 11. 42, 2. 44, 3. R. R. 110. 113, 1. cett. Denique coniunctio *ut* (et *ne* post verbum cavendi) saepe omittitur in enuntiationibus obiectivis solusque coniunctivus ponitur velut R. R. 5, 2: *consideret quae dominus imperaverit fiant.* R. R. 1, 4: *caveto alienam disciplinam temere contemnas.*

De constructione ad sensum.

Constructio ad sensum qua quod vocabulum non ei accommodatur ex quo pendet secundum grammaticae praecepta, sed ad aliud refertur quod menti scriptoris propius obversatur, continetur in vocum immutatis aut casibus aut numero aut genere.

Casuum immutationis princeps forma est attractio quae dicitur pronominis relativi, qua vi pronomen ex sententia primaria ad se trahit nomen unde pendet. R. R. prf. 4: *nunc quod promisi institutum principium hoc erit.* J. 54, 9: *Agrum quem vir habet tollitur.* R. R. 6. 35. 40. 41. 42. Aliud est exemplum R. R. 17: *Ea quae semen viride et maturum habet, uti semen de cupresso, de pino, quidvis anni legere possis.* Hoc loco pronomen demonstrativum per attractionem pronominis relativi in nominativo positum est. Similiter J. 80, 7: *Scio ego quae scripta sunt si palam proferantur, multos fore qui vitilitigent, sed ii potissimum qui verae laudis expertes sunt.* Tum quae per varias verborum ellipses explicari poterant exempla ad hunc nos conferimus locum, quod constructione ad sensum potius orta esse putamus. R. R. 10, 1: *Olivetum agri CCXL iugerum: vilicum, vilicam, operarios V, bubulcos III, subulcum I, asinarium I, opilionem I.* Summa hominum XIII. *Boves trinos, asinos ornatos* e. qu. s. R. R. 18, 2: *stipites crassi*